

EXEMPLVM literarum Illustrissimi Saxo-  
niæ Ducis Friderici, ad Reuerendissimum  
in Christo patrem & dominum, dominum  
Thomam T. T. Sancti Sixti Cardinalem  
ac Legatum Apostolicum.



S. P. Reuerendissime in Christo Pater singula-  
riter nobis dilecte domine & amice, Vestræ charitatis  
litteras die xxv. Octobris Augustæ datas, die xix.  
Nouembris accepimus, per tabellarium non peculia-  
rem, sed fortuitum redditas, ad doctorem Martinum  
Luther Augustinianum pertinentes, quas undecunq;  
toto ipsarum argumento percepimus atque in-  
telleximus. Quoniam ergo dictus Martinus coram  
pietate uestra apud Augustam comparuit, sicut cum  
charitate uestra Augustæ collocuti pollicebamur, no-  
stræ satissimus promissioni. Præterea persuasera-  
mus nobis uestram pietatem audito Martino secun-  
dum uestræ reuerentiæ promissionem multiplicem,  
eum paterne & beniuole dimissuram fuisse, Neque,  
quamuis nondum cognita causa & sufficienter discus-  
sa, ut Martinus refert, coacturam, ad reuocationem &  
palinodiam. Sunt enim plurimi eruditorum in no-  
stris principatibus & terris, in uniuersitatibus studio-  
rum & alioqui, uerum hactenus, & in hodiernum  
diem,



diem, constanter & irrefragabiliter, certiores fieri non  
potuimus, Martini eruditionem, impiam, & non Chri-  
stianam, sed hæreticam esse, Exceptis nonnullis, quo-  
rum rei priuatæ & utilitati peculiari eruditio eius non  
proluit: Qui, ut cōmoditati propriæ consulere Mar-  
tino sese aduersarios opposuerunt, suo tamen propo-  
sito contra Martinum nondum probato. Nam si ali-  
quo constanti fundamento & ratione intelligeremus,  
Martini eruditionem, impiam & instabilem esse: dei  
omnipotentis auxilio & gratia ipsimet ita nos doce-  
remus, ut nulla indigeremus exhortatione atque ad-  
monitione. Noster enim animus, nostra uoluntas,  
nostra mens in hoc tota est, ut ad Christiani principis  
officium sit paratissima, & qui deo adiutore, & honori  
& conscientia suæ consulere cupiat. Quapropter mo-  
dis omnibus sperauimus, non futurum, ut eum hoc  
rerum statu, hac afficeremur comminatione, Rhoma-  
nam curiam id causæ prosecuturam, & reuerentiam  
uestram manus lauisse, Vel, ut à nobis postularetur,  
ut Martinum Rhomam mitteremus, siue ex nostris  
regionibus expelleremus, Idq; non ob aliam causam,  
quàm quod Martinus hæreseos conuictus sit. Pelle-  
retur enim incommodo nostræ uniuersitatis (sicut in  
hanc diem notum est) Christianæ, & multos bonos &  
doctos & studiosos habentis. Neque omisimus Mar-  
tino





tino uestræ charitatis literas exhibere, ad quas uobis  
secundum tenorem exempli, his nostris literis inclusi,  
respondit. Responsum eius reuerētia uestra inueniet.  
Cum itaque Martinus sese offerat ad aliquarum uni-  
uersitatum iudicium, & in locis tutis ad disputationē,  
& cognita causa obedienter se sit applicaturus, ut do-  
ceatur simul & ducatur, arbitramur merito admitten-  
dum: aut saltem ostendendos in scriptis errores, id  
quod & nos petimus, quamobrem tamen hæreticus  
esse debeat, neque ita nondum conuictum pro hære-  
tico reputandum & scribendum, ut nos quoque ha-  
beamus quod sequamur & faciamus. Nos enim neq̄  
libenter permetteremus nos in errores trahi, neq̄  
ut inobedientes à sancta sede Apostolica in-  
ueniri. Hoc uestræ charitati, quam deo  
omnipotenti diu feliciter conseruan-  
dam commendamus, cælare no-  
luimus. Datum Aldenburg.  
die VII. Decembris.  
Anno domini  
M. D. XVII.



Glareano.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.